

Kapsel
92 B770 (32)





1762

557

2
10
1-

CUM DEO.
DISPUTATIO
DE
JURISPRUDENTIA,
Ejusque
NATURA SYSTEMATICA,

Quam
Sospitante SS. Triade,
SUB PRÆSIDIO
VIRI

Præcellentissimi, Clarissimi ac Doctissimi
DN. M. JOHANNIS CAMMERHOFII,
ILLUSTRIS GYMNASII MANSFELDENSIS ISLE-
BII RECTORIS LONGE MERITISSIMI,

In Conventu Dn. Consiliariorum, Inspectorum, Fau-
torum, & Juventutis Gymnasticæ,

Defendebat
CHRISTOPHORUS Kundenreich / Colbergensis
Pomeranus,

In Auditorio superiori die 23. Martii, horis antemeridianis
Anno M DC LXXI.

ISLEBII,
Literis Andreae Coccii.

ULB Halle
000 651 850



3



VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimoq;

DN. CHRISTOPHORO

Kundenreich /

CAMERARIO URBIS COLBER-
GENSIS LONGE MERITISSIMO,

Dn. Patrono, Patruo, & Fautori suo perpetue obser-
vantis, & debiti honoris, cultu prosequendo

Hæc studiorum suorum primitias

officiose

dicat, consecrat, & offert

Christophorus Kundenreich /
Junior,



Kapitel 92 B 770

[32]





I. N. J.

DE JURISPRUDENTIA, EJUSQUE NATURA SYSTEMATICA,

Jurisprudentia, est divinarum, & humanarum rerum notitia, justè
atq; injusti scientia; uti habetur in Institutionibus, de justitiâ, & jure.
Vel, Jurisprudentia, est scientia Juris, ad obtinendam justitiam. Estq;
Generalis, considerat naturam Juris in genere, ut applicetur ad sin-
gulas ejus species. Habet in se tria:

1. Finem, est Notitia Jurisprudentie, ad procurandam ex Processu
Juris justitiam, & æquitatem, omnibus hominibus, & actio-
nibus communem. Vulgò dicitur Praxis.

2. Subjectum, sive Materia, sunt Personæ, Actiones, & Res. Vel, Sub-
jectum sunt Quæstiones Judiciales, de certâ Juris Causâ, Ma-
teriâ, & Negotiis.

3. Media sunt Leges divina, sive naturales, & humana, unûquemq;
in quâlibet Republicâ obligantes ad obedientiam.

Specialis est Politica, & Ecclesiastica.

Politica, est Jus publicum, varians, pro diversitate Rerumpubli-
carum Specialium. Estq; duplex Cæsarea, & Municipalis.

Cæsarea, vel Imperialis Jurisprudentia, dicitur Corpus Juris
Civilis, auctoritate Justiniani Imperatoris, ex veteri Ro-
manorum jure collectum, ob normam imperii Romani. Ab-
solutè vocatur Corpus Juris. De quò Memb. 2.

Municipalis est jus cujusq; Republicæ specialis. Vocatur Jus
Statutarium. Memb. 3.

A

Eccle-

Ecclesiastica, *'agit de regimine Ecclesiastico. Dicitur etiam Poli-
tia Ecclesiastica; Estq;*

Pontificia, *Jus Canonicum, de Constitutionibus Ecclesiasticis,
Memb. 4.*

Propria *cujusq; Ecclesie, est Jurisprudentia Ecclesiastica, si-
ve Consistorialis, & Agenda Ecclesiastica. Memb. 5.*

CANON. I.

Systema Juris est necessarium.

Systema est ordinata compages omnium partium, & rerum
similium, ut sit integrum Corpus. Hujusmodi Systema in pro-
lixo Jurisprudentiæ Studiô per necessarium est (1) ob Regulam
tractandi universam Jurisprudentiam; Systema enim est Nor-
ma, & Regula universæ Facultatis, ex quâ de omni materiâ ju-
dicatur, quâlis sit ejus sedes, quò pertineat, & de promi possit.
(2) Ob repertorium omnium Titulorum, & Caputum ordine
dispositorum; Quia materia in Systemate sunt Rubricæ, & Ca-
pita non tumultuariè, sed ordine disposita, ut evolvi, & quoties
visum est, è suâ sede citari queant. (3) Ob Methodum, & Di-
stinctionem; Systema ordinatam compagem indicat, nexum
antecedentium, & consequentium probat, neq; quicquam in
sua distinctione omittit, ne leges bonæ Divisionis incurrat, &
discentem ambiguum faciat. (4) Ob notitiam methodi, & bre-
vem comprehensionem Juris universi, judicium de variis li-
bris, quàm plurimis Tractatibus, Disputationibus, Collegiis, &
Consiliis passim necessariis. (5) Ob distinctam explicationem,
& usum Corporis Civilis, ex quò omnia Capita Jurisprudentiæ
Specialis eliciuntur. (6) Ob Authoritatem Magnorum Jcto-
rum, qui non infeliciter Systema Juris tentarunt.

CANON. II.

Autores Systematis juris indagare utile est.

Tales sunt, Jurisprudentia Romana *Vultejj*, jam dudum Jctis
probatissima, Christophorus *Ehemius* de Jurisprudentiâ, certâ
Methodo in artem redigendâ. *Trentlerus* l. 1. Disp. 1. Thes. 7. &
cum eo *Baccovius*, Erasmus *Ungebauer* Exercitationum Justi-
neæ

589

nearum lib. 1. qv. 7. *Corasius* Tractatu de Jure Civili in Artem redigendô, Parte 1. Cap. 3. *Besoldus* de Justitiâ, & Jure Num. 5.

Taboris Jurisprudentiæ Partitiones elementariæ, Gissæ Annô 1660. editæ, non vulgaria hanc in rem suppeditant. Hûc etiam referuntur Distributiones Juris, quales scripserunt Nicolaus *Vigelius*, Johannes *Bodinus* in Distributione Juris Universi. *Brissonius*, & *Freigius* in suis Partitionibus. Nicolaus *Reusnerus* dedit partitionem seu Oeconomiam Juris utriusq; brevibus Tabulis comprehensam. Item: *Connanus*, *Donellus*, *Hottomannus* in Præfatione Paratitlorum, *Ducerus*, *Finnius*, *Schäfferus*, *Felde*, *Althusius* in Diczologiâ, *Struvius* in Syntagm. Jurispr. *Strauchii* universum Jus Justinianicum. *Kleinschmid* in Præcognit. Juris Annô 1660. editis.

Memb. II.

De Corpore Juris Civilis.

Corpus Juris Civilis autoritate Justiniani Imperat. collectum, constat ex Libris primariis, & secundariis.

Primarii sunt Institutiones, Pandectæ, & Codex.

Institutiones Juris sunt prima Jurisprudentia Elementa. In iis occurrit Finis de justitiâ, & jure lib. 1. tit. 1. 2. & Media, que sunt Personæ tit. 3. - 26. Res lib. 2. 3. 4. tit. 1. - 5. & Actiones tit. 6. - 18. Tituli Instit. sunt 99. Paragraphi 805.

Pandectæ libris 50. comprehenduntur, in quibus omne jus Veterum continetur. Dicuntur etiam Digesta. Dividuntur in Digestum Vetus, Infortiatum, & Novum.

Digestum Vetus, est pars prior continens Libros 23.

Infortiatum, est pars media à libro 24. usq; 39. Dicitur quasi infortiatum, quia inter Vetus, & Novum est interpositum.

Novum, est Pars ultima à librò 30. usq; ad 50. Tituli omnes in Digestis sunt 420. Leges vulgo 8486.

Codex agit de Constitutionibus veterum Imperatorum, & Processu Forensi, ob emendationem, & supplementum Pandectarum. Libri ejus sunt 12. Tituli 764. Leges 2054.

Secundarii sunt Libri accessorii, in quibus vetera jura explicantur, & suppleantur, ut

A 2

1. No-

1. *Novellæ Constitutiones Imperatorum variorum. Dicuntur etiam Authenticæ sive Classicæ: ut Justiniani, num. 168. Tiberii, 5. Leonis, 133. Huc referuntur Codex Theodosianus, Gregorianus, & Hermogenianus qui sunt Constitutiones variorum Imperatorum, & tandem Constitutiones Imperatorum miscellaneæ, quæ sunt Novellæ Imp. post Leonem, usq; ad Paleologum.*
2. *Recessus Imperii die Reichs Abscheide/ sunt Constitutiones posteriores, Imperatorum, & Statuum Conventionibus in variis Comitibus à tempore Frider. III. Anno 1442. usq; ad nostra tempora, ob usum ejus in Imperio Romano sancitæ.*
3. *Jus Feudale, est rapsodia complectens Jus consuetudinarium de Feudis, ob eorum, & in multis juris civilis confirmationem. Germ. Das Lehn Recht.*

CANON. I.

Corpus Juris est Principium Jurisprudentiæ.

Quia (1) Norma universalis, cujusq; Juris in eo extat. (2) Ex eo Leges tanquam Principiata, deducuntur, suppleantur, & ad illud examinantur. (3) Uti in Theologia, quæ etiam hic Principium, est Scriptura Sacra, & Jure Naturali certum Principium, & Norma, est Lex DEI; Ita in Jurisprudentiâ est Corpus Juris. Imò in omnibus Provinciis, & Imperiis per totam Europam valet, in Germaniâ, Italiâ, Galliâ, Hispaniâ, Angliâ, Daniâ, Sveciâ, Bobemiâ, & Hungariâ, uti hoc ipsum ingeniosiss. Polyhistor *Arthurus Duck* anglus in peculiari Tractatu Londini Anno 1653. edito, accuratissimè monstravit.

CANON. II.

Editiones Corporis juris promovent Studium juris.

Quamvis Editio *Rusardi, & Duareni, Cesti, Haloandri, Charonda, & Pacii*, Antuerpiæ, Coloniae, Argentorati, & Lugduni excusa, suâ laude non careat; Quia verò *Dionysius Godofredus* nervosis commentariis, observationibus, & variis lectionibus Corpus juris illustravit, quod inde ab anno 1589. usq; ad 1663. & 65. tot continuatæ editiones in octavo, quarto, & fol. testantur; In hoc genere Corpus Godofredi, cum Commentariis

riis

riis *Accursii*, *Contii*, *Curasii*, nec non aliorum Virorum docto-⁵⁹⁰
rum, sufficiet, cum primis illud, quod Amstelodami 1663. in fol.
elegantissimo typô, & luculentissimô Scholiorum apparatu,
aut illud in quarto Annô 1665. Francofurti in lucem editum,
memoriæ locali, per totius vitæ decursum, velut Compendium
laboris, & sumptuum prodesse poterit.

MEMB. III.

De Jure Municipali, & Saxonico.

*Jurisprudentia Municipalis, est Jus Speciale, auctoritate Magistra-
tûs, de cujusq; Regni, Principatûs, Provincia, & Civitatis ordinatâ
administratione constitutum, ob publicum, & privatum usum, ut: jus
Hispanicum, Gallicum, Anglicum, Venetorum, Lubecense,
Magdeburgense, & aliarum Rerumpublicarum, pro ordine Statuum
Imperii, practicè secundum Finem, Subjectû, & Media tractandum.*

*In hoc juris genere non postremum locum occupat Jus Saxonicum,
quod est jurisprudentia Specialis, quâ Consuetudines veterum Saxo-
num, à Carolô Magnô, & Ottone I. Imperatoribus, in Speculô Saxo-
nicô, jure territoriali, & provinciali, (Sachsenspiegel / Weichbild /
und Landrecht) confirmantur, & Novellis Constitutionibus Electorum
Saxonia declarantur, quibus Saxones ordinariè, Litvani, Poloni, &
alii populi liberè utuntur, ob differentiam, à Jure Canonico, & Cæ-
sareô. Vide Colerum de Origine Juris Saxonici.*

CANON. I.

Diversæ Respublice absolvunt Jus publicum.

*Diversæ Constitutiones, Politiarum, sunt Jus Municipale, & Sta-
tutarium, diversarum Rerumpublicarum, quales editæ sunt hoc ipsô secu-
lô, Annô 1628. 29. 30. 31. Lugduni Batavorum, in forma minore, ut de
Jure Hispanicô, Gallicô, Italicô, Belgicô, Svecicô, Danicô, & aliis, in
quibus est quædam insignis Polyhistoria Politico-Juridica lectu non indigna.
Imprimis danda est opera, ut Jus Statutariû, & Constitutiones illius loci, ubi
vitam degis accurate inspiciantur, & evolvantur. Die Policey Ordnung /
Statuten / und Willkühr eines Landes / oder Stadt.*

CANON. II.

Jus Saxonicum lectu dignum est.

*Quia hodie in celebrioribus, imprimis utriusq; Saxonie, tam Superio-
ris,*

ris, quam Inferioris, Provinciis usurpatur, ejusq; Differentia à Jure Casareo, scitu apprimè utilis est. Huc referuntur Constitutiones Saxonicae, Dresdae aliquoties publici juris factae absq;, & cum Notis *Dan. Mölleri*. Commentarii hujus Juris sunt: *Zobelius*, *Berlichii* Conclusiones Practicabiles. *Daubii* Discursus de Rerumpublicarum inferioris Saxoniae perfectò regimine. Decisiones Saxonicae, & sententiae Definitivae anonymi, & *Georgii Beati*, *Finckelthufius*, *Pistoris*, *Heigius*.

MEMB. IV.

De Corpore Canonico.

Jus Canonicum, est Jurisprudencia Ecclesiastica, auspiciis Pontificum, & eorum Rescriptis, Conciliorum Decretis, & Patrum dictis, de Personarum, & Rerum Ecclesiasticarum gubernatione edita, ob ordinem in Ecclesia, & Auctoritatem Papalem. Dividitur in Libros primarios, & secundarios.

Primarii sunt Decretum, & Decretales.

Decretum est prima pars Juris Canonici, in qua continentur Decisiones Synodorum, Patrum, & Pontificum, de Rebus Ecclesiasticis. Partes ejus sunt 4. (1) Distinctiones 101. (2) Cause 36. (3) Distinctiones quinque, de Consecratione Ecclesiarum, & Missa. De Eucharistia. Festivitatibus totius anni, Baptismo, Confirmatione, & Jejunio. (4) Canones Apostolorum 84.

Decretales agunt de Personis, Rebus, & Actionibus Ecclesiasticis. Libri eorum sunt quinque:

- 1. Agit de Clericis, & de modo eos eligendi, transferendi, vel ab officio removendi.*
- 2. De actionibus, & judiciis Ecclesiasticis.*
- 3. De Vita Clericorum, & de Sacramentis.*
- 4. De Statu Laicorum, & iis, quae ad Matrimonium spectant.*
- 5. De Criminibus, Delictis, & eorum poenis.*

Secundarii sunt Libri accessorii, quibus Decretum, & Decretales explicantur, & suppleantur, ut Liber Sextus, Clementina, & Extravagantes.

Liber sextus Decretalium sunt quasi Novella Constit. Juris Canonici, à Bonifacio VIII. confirmata, in quibus LXXVII. Titulis Decretales suppleantur.

Cle-

191

Clementinæ sunt Constitutiones Clementis Quinti,
Extravagantes editæ à Johanne XXII sunt Constitutiones Pontifi-
ficæ, extra Textum Juris Canonici frequentatæ.

CANON. I.

Jus Canonicum suâ utilitate non caret.

Jus Canonicum utile est, ad Theologiam Thetico-Polemicam; Multi enim sunt tituli, quibus velut testimonio Catholico, Verum confirmatur, & error refutatur; quâ de re videri potest *Johannes Hallerus*, in Excerptis ex Jure Canonico. Sic de rebus Ecclesiasticis, ut Jure Patronatus, De Clericis, Episcopis, Excommunicatione, Sepulturâ, aut similibus textus è Corpore Canonico allegatus, suâ autoritate non destituitur.

CANON. II.

Corpus Canonicum cum granô salis legendum est.

Lectioem ejus selecta Editio promovet ex omnibus, quæ in fol: quarto, & octavo, prostant, optima est Pauli *Lancelotti*, autoritate Gregor: XIII. revisa, & Petri *Matthai*, ob notas, & varias lectiones non ineruditas. *Andræ Vallensis*, & *Erasmi Ungebauer*. Jus Canon. 1660. & 61. *Zigleri* Col. Jenæ & *Witteb.* editum. Quod si Canonum, & Capitulorum *connexio*, & *resolutio Thematica* præcesferit, ut fiant *Paratitla*, non vulgare erit operæ pretium I. Interim infallibilis Canon, non est hoc Corpus, propter ineptas, ac falsas expositiones Dictorum Scripturæ, & hinc errores Sacris literis adversantes, allegationes ex supposititiis, & Corruptis Patrum Libris, & Decreta Contradictoria. Mitto Etymologias absurdas, Barbarismos longè plurimos, & falsitates non vulgares ipsis etiam Pontificiis non diffidentibus. De quibus apud *Sleidan.* de IV. Sum. Imper. Libr. 3. circa finem. *D. Gerhard.* Confess. Cathol. Lib. 1. Part. 2. Cap. 14. p. 730. *D. Meisner.* in Orat: de Rom: Pont. Theol: Causidicâ Anno 1617. *Witteb.* habitâ. *Flacium* de Dissens: p. 71. plenius actum est. Proinde in hoc Canone non semper-Canone, omnia sunt probanda, & quod bonum est tenendum.

CANON. III.

Allegatio Juris necessaria est.

Allegatio est ratio citandi leges utriusq; Corporis per notas, & abbreviaturas, ut possint evolvi Librorum Tituli, Leges, Canones, atq; Paragraphi, qui sunt quasi Capita, & Versiculi. Notæ sunt S. & ff, dicuntur Paragraphus, & Pandectæ, à Græco π, quibus accedunt literæ Cc, D. F.

D. F. N. q. i. e. Codex, Constitutiones, Canon, Capitulum, causa: Digesta, Decreta, Decretales: Feudale Jus: Novellæ. Quæstio. *Abbreviatura* sunt Inst. Cod. Nov. Feud. Decr. Clem. Extrav. i. e. Institutionibus, Codice, Novellis, Feudorum Consuetudinibus, Decretalibus, Clementinis, & Extravagantibus, additâ particulâ initiali Tituli, paragraphi; Et in Corpore Canonico numero Causarum, & Canonum, ut: l. si quis ex argent. §. 1. ff. h. e. in lege, *quæ incipit: Si quis ex argentariis*, in Digestis Tit: de edendo §. 1. ut si alleges in Bibliis inverso ordine v. 15. semen Mulieris Genes. Cap. III. de Lapsu Protoplastorum. l. minimè. C. de Episc. audient. h. e. Lege, *quæ incipit Minimè*, in Codice de Episcopali audientia. Reliqua usus, & Præcognita de Studio Juris docebunt.

MEMBR. V.

De Jurisprudentiâ Ecclesiasticâ propriè sic dictâ.

Jurisprudentia Ecclesiastica, est Regimen Ecclesiasticum, agens de Constitutione, & administratione Ecclesie, ut in eâ omnia ordine, & decenter fiant. In ea est

1. Finis

Externus, est ordo in verâ doctrinâ, & honestâ Disciplinâ.

Internus, Praxis Ecclesiastica, de Processu in Rebus Ecclesiasticis, & Matrimonialibus.

2. Subjectum, quò constituitur Ecclesia, sunt Personæ Ecclesiastica

Propriè

Strictè dicuntur Ministri Ecclesie, quorum

Requisita sunt sufficiens Doctrina, & Vocatio Legitima.

Classes sunt

Superiores, ut: Inspector, Superintendens, Doctor Theol. Pastor.

Inferiores, ut Diaconi, Cantores, & Aeditui. Horum omnium qualitates sunt sufficiens doctrina, & vita inculpata.

Latè, sunt Ministri Scholæ, omnium Scholarum, ut Academiarum, aliarumq. De quibus propriè in Scholasticâ agitur.

Impropriè sunt

Cura-

592

Curatores, ut: Episcopi, sive Magistratus, Seniores, &
Provisores Ecclesie, die Kirchväter. Huc referri possunt
Auditores, sunt domestica fidei Parochiani, (Canonici,

Res sunt

Ædes, ut: Tempia, Schola, & alia Sacra Ædificia, eorumq; edi-
ficatio, & reparatio. Huc pertinet Jus Subselliorum in Tem-
plo, & Hospitalia.

Bona Ecclesie, Legata ad pias Causas, Pradia, Decima, Reditus,
Pecunia, Aerarium, Salaria, Eleemosyna pro Mendicis, & per-
sonis miserabilibus, Bibliotheca, Clivodia, Matricula Ecclesia-
stica, & Scholastica. Dicitur etiam Inventarium.

3. Media sunt

Principalia, Jus Episcopale, & Patronatus, de curâ Religionis,
& Rerum sacrarum, Episcopo, & Patrono dignâ. Dicitur Ju-
risprudentia Ecclesiastica.

Instrumentalia, & quidem
Gubernationis

Norma, vel Modus sunt Regula Rempublicam Ecclesiasti-
cam dirigentes, & conservantes, quas describit Consti-
tutio Ecclesiastico-Scholastica, die Kirchen-und Schulo
Ordnung / Kirchen Agenda.

Forma est actus, & officium Personarum ad Ecclesiam per-
tinentium, ob Doctrinam, & Disciplinam Ecclesie conser-
vandam, ut: Communicatio, & Consensus Superiorum,
& Inferiorum. In Specie pura Verbi predicatio, legiti-
ma Sacramentorum administratio, Vigor Disciplina Ec-
clesiastica per omnes Status, officium Superintendentis,
Concionatorum Aulicorum, Pastorum, Diaconorum, Mu-
sicorum Vocalium, & Instrumentalium, Ædituorum, Præ-
ceptricium, Ministrorum Schola, Curatorum, Presbytero-
rum Eccl. & Auditorum. Dicuntur Virtutes, & Officia sin-
gularum.

Conservationis sunt

(1) Consistorium sive Episcopalis Audientia, de consiliis Ec-
clesie apprime proficuis. Consistorium dicitur etiam Fo-
rum

B

*rum Ecclesiasticum, ejusq; Competentia, & Magistratus Eccle-
siasticus. Habetur in eò*

Constitutio, qua est materia

Ex quâ, sunt

Superiores, Praeses, & Assesores.

Inferiores, Ministri, & Advocati Jurati.

Circa quam, sunt Causa Eccl. & Matrimoniales.

Administratio, in quâ notatur

*Norma, Ordinatio Consistorialis, die Consistorial Ordning
in Rebus Eccl. & Matrimonial: cujus amussis sunt Libri
Symbolici, Scripta B. Lutheri, Consilia, & Decisiones Aca-
demiarum, Ministeriorum, & Dd. quomodo, quando, & ubi
juxta eam in omnibus Causis procedendum sit.*

Forma est

Processus in Causis

*Ecclesiasticis de Personis, & bonis Ecclesie. Hic descri-
bitur promotio ad functionem Sacram; cujus Partes
sunt: Nominatio totius Ecclesie, sive Cleri, Magistra-
tus, & plebis approbatio, & Electio; Vocatio, Præ-
sentatio, Concio *domina* die Probe Predigt, Exa-
men, Ordinatio, & Introductio Ministrorum Eccle-
sie. Quo pertinent etiam Professores, Præceptores,
Musici, Aeditui, & Præceptrices. (2) Salaria, Redi-
tus, Decima, Immunitates Personarum Clericalium. (3)
Ritus, & Ceremonia circa Conciones, & earum varie-
tatem, luctum publicum, Baptismum, Cœnâ Domini, &
Sepulturam. (4) Bonorû Ecclesiasticorum administratio.
(5) Emeriti, Substituti, Mors Clericorum, Hereditas,
dimidius Gratia annus, & transactio cum Successore.*

*Matrimonialib; ut de Consanguinitate, affinitate, Dissê-
satione in gradibus prohibitis, Sponsalibus, Nuptiis, ea-
rumq; Consummatione, & ritibus, secundis Nuptiis, Re-
pudio, sive Sponsaliorum dissolutione, Separatione quo-
ad Thorum, & Mensam, Divortio, malitiosâ desertione,*

ejusq;

ejusq; processu, & adulterio. Hisce additur Caput de
Sportulis, & Sumptibus Consistorialibus.

593

Pœna est

Communis omnibus Causis, eaq;

Verbalis, Correctio, & Admonitio.

Realis

Minor, Multa.

Major, Suspendio à Cœnâ, Pœnitentia Ecclesiastica,
sive Publica Deprecatio.

Maxima, Excommunicatio, Ver Banu.

Propria Causis

Ecclesiasticis respectu

Auditorum, propter injuriam cum Pastore, & Tur-
bas in Cœtu Sacro datas, est arbitraria.

Pastorum, mitior pœna est Translatio, sive Translo-
catio; Gravior, Carcer, Suspendio ab officio; Gra-
visima, Remotio ab Officio, & Proscriptio. (rit.

Matrimonialib⁹ de pœnâ stupri, desertionis, & adulte-

(2) Synodus dicitur Conventus, & Concilium. Hec omnia ad Eccle-
sias oppidanæ, paganas, & locum, in quo aliquis vivit, tanquam
Ecclesiasticam Specialem speciatim referri, & ad singula cap.
applicari possunt, unde est vera praxis, & experientia Ecclesia-
stica, in quâlibet Ecclesiâ particulari.

CANON. I.

Jurisprudencia Ecclesiastica est pars Systematis Juris.

Quia (1) in eâ abstractè consideratâ continetur Regula omnium Scripto-
rum, & rerum ad Jurisprudenciam Ecclesiasticam pertinentium, ut vera
ipforum sedes, & Capita eò referantur. (2) Est pars Esfentialis, & Princi-
palis Systematis Juris, quæ describit Personas, & Res Ecclesiasticas, Jus E-
piscopale, Patronatûs, Constitutionem Ecclesiastico-Scholasticam, quid sit
Consistorium, & Synodus, quæ sanè perfectiorem Tractationem, ut totum
homogeneum, requirunt. (3) Ordinata Consecutio, & Coagmentatio to-
tius Systematis hoc postulat, ut Generale, & Speciale, Finis, Subjectum,
& Media per omnes partes sese excipiant, ne Systema mutetur, mutile-
tur, & torqueatur, sed sit totalitas, & adæquatio, necessarium cujusq; Sy-
stema-

temeris requisitum. Hinc emergit (4) Perspicua, & accurata rerum Eccle-
siasticarum notitia, & usus non vulgaris, quem Praxis, & Prudentia, quæ
est experientia exemplorum, & actionum sacrarum, memoriâ, & annali-
bus etiam propriis dignarum, facile perficient.

CANON. II.

Boni Autores Jurisprudentiam Ecclesiasticam perficiunt.

Ut ex illis tanquam Scriptoribus probatis fundamenta, & primordia
capiantur in Supplementum Systematis Jurisprudentiæ Sacræ. Hos inter
velut ignes Luna minores promicant: *Agenda Ecclesiastica* varia, impri-
mis Saxonica Electoris Augusti, & nostra *Mansfeldensis* de Doctrinâ,
& Disciplinâ cum Appendicibus Menzelianis perquam utilibus, & Ordina-
tio Consistorialis, aliarumq; Ecclesiarum. *Carpzovii* Jurisprud. Ecclesia-
stica, sunt Pandectæ quædam sacræ omnium in Ecclesiâ accurate ambulan-
tium, manibus dignæ. *Corpus Canonicum*, ubi non irregulare est, &
papizans, classicam habet auctoritatem. D. Glasfenius de Religione Poli-
ticâ. Consilia *Dedekenni*, & *Wittebergensis*. Antonius Faber de Reli-
gione regendâ. D. Gerhardus Tom. VI. de Magistratu. Laurentius Ohm in
Tract. de Jure Episcopali. *Neugebauer's Wächterstimmi*. *Prücknerus* in
Mille Qq. *Reinking.* de Regimine Seculari, & Eccles. Richter's Axiom. Ec-
clesi. *Sectendorff's Teutscher Fürsten Staat*. *Veidelius* de Prudentia Ve-
rerum Patrum. D. Christianus *Weberus* de Jure Patronatûs, & Consisto-
riis, potiores erunt in hoc Xysto, & Arcopago Sacro. *Zepperi Politia Ec-
clesiæ*, ob prudentiam ex Histor. Eccles. lectu utilis & jucunda erit. Con-
cludimus Verbis Magni Jcti Johannis *Oldendorpii* Cedro dignis: *Cau-
sa*, inquit, *obscurata* Jurisprudentiæ inter alias sunt: *Vastæ Commen-
tariorum moles*. *Usus in foro neglectus*. & *Apudodia* ut refert *Melch.
Adami* in *Vitis Jctorum*, & *Politicorum* p. 176.

Dictamen Logicæ, ac usus *Systema* requirunt,

Sic *Generalis Pars*, & *Specialis* erit.

Finis cum *Mediis* dant in *Systemate* cuncta,

Cum per pauca potest pluribus haud opus est.

Casoream, & quod vult *Jus Verum*, *Ecclesiæ* tandem

Systema efficiunt. *Ordine* cuncta *avigent*,



92 B 770 [32]


ULB Halle

3

006 546 617







CUM DEO.
DISPUTATIO
DE
JURISPRUDENTIA,
Ejusq,
NATURA SYSTEMATICA,

Quam
Sospitante SS. Triade,
SUB PRÆSIDIO
VIRI

Precellentissimi, Clarissimi ac Doctissimi
DN. M. JOHANNIS CAMMERHOFII,
ILLUSTRIS GYMNASII MANSFELDENSIS ISLE-
BII RECTORIS LONGE MERITISSIMI,

In Conventu Dnn. Consiliariorum, Inspectorum, Fau-
torum, & Juventutis Gymnasticæ,

Defendebat
CHRISTOPHORUS Kundenreich / Colbergensis
Pomeranus,

In Auditorio superiori die 23. Martii, horis antemeridianis
Anno M DC LXXI.

ISLEBII,
Literis Andreae Cocceii.

